

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Resurrectio i
cum fonte primo

Hec est dies quam fecit
et cetera.

Quis, inquit, dies? Nempe ille
qui tribuit uiuendi principium, lucis
exordium, auctor luminis ipse
Dominus Ihesus Christus qui de
semetipso ait: Ego sum, inquit,
dies qui per diem ambulat, non offendit.

Hinc unius plebis gremio beatae
Ecclesiae nutrita fraternitas, unicae
divinitatis substantiam, ac virtutis trium
nomen adorantes, psalmum annuae
festivitatis cum Propheta concelebrant:

*Hic est dies quem fecit
Dominus, exsultemus et laetemur in eo
(Psal. CXVII, 24).*

Quis, inquam, dies? Nempe ille
qui attribuit vivendi principium, lucis
exordium, auctor luminis, id est, ipse
Dominus Jesus Christus, qui de
semetipso ait: Ego sum, inquit
(Joan. XI, 9),
dies: qui per diem ambulat, non offendit,
id est, qui Christum in omnibus sequitur,
per ejus vestigia usque ad aeternae lucis
solium transmeauit; sicut ipse Patrem
pro nobis adhuc in corpore constitutus
orat dicens: *Pater, volo ut ubi ego sum,*
ibi sint et hi qui in me crediderunt; ut
sicut tu in me, et ego in te, ita et illi
maneant in nobis.

Auctores varii, *Sermones sancto*
Ambrosio hactenus ascripti, 35, 5 (PL
17, col.674D-675A).

Est enim pascha uere anni principium,
primi mensis exordium, nouella
germinum reparatio ac tete yemis
nocte discussa, primi ueris restituta
iocunditas

in quo
Deus defixo humo celi machinam
suspendens, diem solis ardore radiavit,
splendorem lune solatio noctis attribuit,
pendentem celi cameram splendencium
syderum decoravit ornatu.

Ambrosius in epistola de misterio
pasche.

Est enim pascha vere anni principium,
primi mensis exordium, novella
germinum reparatio, ac tetrae hiemis
nocte discussa, primi veris restituta
jucunditas.

Hoc, inquam, tempore visibilium et
invisibilium conditor
Deus, defixo hamo coeli machinam
suspendens, idem solis ardore radiavit,
splendorem lunae solatio noctis attribuit,
pendentem coeli cameram splendentium
siderum decoravit ornatu,
mare certis littorum finibus coercens,
concavae ac stridentis undae aestum
metas statuti limitis jussit haud excedere.

Auctores varii, *Sermones sancto*
Ambrosio hactenus ascripti, 35, 2 (PL
17, col.673A-B).